



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

Luxemburgi, 1758

XXXI. Ad exercendos, erudiendosque Picturæ, atque Sculpturæ Tyrones,
Gymnasium publicum, seu Academia in Ædibus Capitolinis erigitur, annuo
censu constituto in necessarios sumptus. 17. Martii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74789)

quàm Correctores Provinciales, juxta datam sibi à Domino prudentiam, & juxta rerum qualitates, intra suum Tribunal respectivo Generale, vel Provinciale, & non aliter, ad quascumque Electiones, factis prius tribus scrutinis, vel à Correctore Generali in suo, seu à Correctore Provinciali respectivo in suo, Tribunalibus, ex quatuor votis compositis, interveniente tamen paritate votorum, devenire, ac quascumque causas quoad Correctores Provinciales cognoscere, & decidere, aliaque Ordinis, & Provinciarum negotia decernere, & quidquid in omnibus præmissis per eum, & illos, seu aliquem eorum, sanctum, decretum, cognitum, actum, gestumque fuerit, suum fortiri debeat effectum, perinde ac si omnium uniuscujusque Tribunalis hujusmodi suffragiorum consentia factum fuisset.

§. 4. Decernentes easdem præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, & illis, ad quos spectat, & in futurum quomodolibet spectabit, plenissime suffragari, & ab eis inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices, Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere; ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac dicti Ordinis, & illius Provinciarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, quod præsentium Litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu dicti Zelosi, seu Procuratoris Generalis subscriptis, & sigillo ejusdem Ordinis munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extrà illud adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majoram sub Anulo Piscatoris die XXI. Januarii MDCCCLIV. Pontificatus Nostri Anno Decimoquarto.

D. Card. Passioneus.

XXXI. Ad exercendos, erudiendosque Picturæ, atque Sculpturæ Tyrones, Gymnasium publicum, seu Academia in Aedibus Capitolinis erigitur, annuo censu constituto in necessarios sumptus.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

INTER curas supremo Principe dignas, non ultimum locum tenere censuimus eam, quæ pertinet ad tuendas promovendæque ingenuas artes, quibus honesta ingenia excoluntur, & liberaliter occupantur; quæque, dum naturalium rerum pulchritudines imitando exprimunt, propriam

humane nature nobilitatem, atque præstantiam declarant; nec modò Civium commodis, sed sepe etiam Divino cultui cum dignitate intervenientes, societati simul utilitatem afferunt, & splendorem.

§. 1. Hanc curam in omni recte constituta Civitate nunquam neglectam, Nobis potissima quadam ratione suscipiendam esse duximus: quibus nimirum, Divinæ providentiæ consilio, delatum est illius Urbis dominium & regimen, quæ olim quidquid ubique pretiosum, vel insigni arte elaboratum extitit, aut ditione & imperio, aut etiam sinu suo complexa, ipsam artium omnium excellentiam suam fecit; eamque laudem a subiectis Nationibus ad se translata, aliis deinde gentibus, quæ illius omnino expertes erant, inveniit; & ab reliquo Terrarum Orbe inscitiam atque barbariem semel atque iterum depulit.

§. 2. Verum quum artium gloria, cessante artificum exercitatione, facile intereat; videlatur illa in hac Urbe Nostra paulatim imminui possè: dum ipsa Urbs, præclaris veterum atque recentium Pictorum, Sculptorumque operibus referta, in eorum possessione quadam veluti securitate conquiescit; novosque earum artium tyrones formare parum sollicita, futurorum deinde Magistrorum scholam propemodum extingui finit: non satis advertens, ad eam se aliquando artificum penuriam redigi possè, ut quum aliquod opus ad usum, ad ornatum, ad memoriam insignè efficiendum occurrat, alienorum operam implorare cogatur, & industrie subsidia ab his expectare, qui olim polioris culturæ, ac scientiarum & artium omnium documenta ab ipsa petere contulerunt.

§. 3. Huic malo quum Nos tempèstivè occurrendum meritò judicaverimus; postquam plura artis antiquæ monumenta collegimus, plura restitavimus, eorumque in publicam utilitatem conservacioni prospeximus; Capitolinam Pinacothecam, Prædecessoris Nostri Clementis Papæ XII. munificentia collectam, instructamque, magnâ Græcorum, Ægyptiorum, Romanorumque, Signorum accessione locupletavimus; insigniumque Pictorum Tabulas magno numero diversis ex locis acquisitas, multoque ære comparatas, in eodem Capitolio, laxis a solo ædibus ad australem montis crepidinem excitatis, aptè decenterque dispositas collocavimus; nunc denique ibidem, ubi tot artis prodigia videntur, hominum admirationi, & artificum exemplo propolita, publicam quoque institutionem ingenuarum Artium Tyronibus constituere deliberavimus, eamque ipsis præberi volumus exercitationem, quam omnium opinione idoneam maximè haberi novimus, adeoque aptissimam fore confidimus, ad perfectos aliquando futuros Pictores, Sculptoresque informandos, qui veteris Romanæ Academicæ gloriam renovare, & in omnem posteritatem propagare queant.

§. 4. Quum enim rectè pingendi atque fingendi principium & fons in exactissimæ delineationis perita statuatur; hæc autem ex ipsa nature contemplatione certius, quam ex servilium priorum artificum imitatione acquiri possit; ideo in prædictarum Aedium a Nobis extructarum corpore capacem Aulam ad id aptari curavimus; ut ibi quicumque in delineandi arte proficere student, ad vivi hominis exemplar sese exercentes, certas verasque ducere lineas addiscant: Quo semel constantibus nature legibus probe imbuti, & ad earum normam conceptas animorum formas exigere & conformare docti, in omni genere liberalis artificii, ad quod ingenium studiumque appulerint, intrepida manu operari valeant. Quod eisdem commodum quum alias in Urbe studiosis adolescentibus

Urbs Roma quantopere his claruerit.

Sine exercitatione facie intereunt.

Cura Pontificis, ut Tyronum industria & exercitacioni nihil desit.

Pingendi fingendique principium in exactissima delineatione: hæc in contemplatione nature potissimum constituta.

Clausula pro præmissorum firmitate.

Derogatio contrariis.

Exemplorum fides.

Dat. 22. Januarii 1754. Pontificat. XIV.

Ingenuarum artium præstantia.

agere suppeteret, ac pretio plerumque, & pecuniarum collatione comparandum esset; nihil ipsis jucundius, aut honestis artibus promovendis utilius, præstare Nos posse putavimus, quam si perpetuo liberalitatis Nostræ munere provideremus, ut omnes studiorum conducendum hominem in delineationum exemplar, ad locum instruendum atque illustrandum, & ad ipsum opus dirigendum urgendumque necessarii, de publico præberentur. Hac enim ratione sperandum fore judicavimus, ut beneficio Nostrò invitati adolecentes oblatam sibi proficiendi occasionem cupidè arripiant, & ad præclaras hujusmodi artes omni cura excolendas, ac perficiendas, magis magisque accendantur.

§. 5. Jam verò certam huic operi formam præscribere, ejusdemque perpetuam stabilitatem asserere volentes, Motu proprio, ac certa scientia, per hanc nostram perpetuo mansuram Constitutionem, in præfatis Aedibus nostro jussu & sumptu in Capitolio extructis, in inferiori scilicet earum Aula ad id destinata, Gymnasium, seu Academiam, populari vocabulo *del Nudo* appellandam, in pauperum studioforum, qui delineandi artem addiscere curant, beneficium & usum, erigimus & instituímus; cujus quidem Gymnasii seu Academice sic erectæ & institutæ Protectorem & Præsidentem, earundem præsentium Litterarum tenore, Venerabilem Fratrem Nostrum Sylvium Sabinensem Episcopum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem Valenti nuncupatum, Nostrum in Status universi negotiis Secretarium, dictæque Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Camerarium, qui Nos in hujus rei consilio suscipiendo, & ad exitum perducendo, pro sua rerum gerendarum solertia, & singulari erga bonas artes studio, plurimum juvit, ac deinde illius in Camerariatus hujusmodi Officio Successores, eligimus & deputamus: Mandantes eidem Sylvio Episcopo & Cardinali, ut opportunas Leges, & provida Statuta pro destinati operis constitutione, & perpetuo regimine, quamprimum condere curet, Nostròque etiam nomine & auctoritate promulget; ac dantes eidem moderno, ac pro tempore existentis præfate Academice, seu Gymnasii Præsidi, ac Protectori, necessarias omnes & opportunas facultates, ad hoc, ut pro ejusdem operis executione & progressu, quascumque utiles & idoneas pro tempore ordinationes facere, atque decreta edere, & tam eorum, quam Legum & Statutorum hujusmodi observantiam injungere, & exigere, ac etiam, quoties ita res ferant, illas & illa revocare, corrigere, & in melius immutare possit, & valeat; prout ad ipsius Academice, seu Gymnasii utilitatem, & mentis ac voluntatis nostræ implementum, magis expedire, illius prudentiæ visum fuerit.

§. 6. Pro ejusdem vero Gymnasii dote, qua occurrentes expensæ pro mercede hominis delineantium studio proponendi, aliisque rebus ad hujusmodi operis executionem, ac directionem necessariis, fieri & sustineri valeant; Nos annuam summam tercentorum scutorum de juliis decem pro quolibet scuto, ex publici Promptuarii, a Nobis etiam in hac Urbe ad aservandas, & venales proponendas soleas instituti, proventibus, (quos quidem Nos ipsi aliàs per Schedulam nostri Motus proprii die xxii. Junii Anni MDCCLXVIII. signatam, & in Actis dilecti Filii Gregorii de Castellanis unius ex Camera prædictæ Secretarii & Notarii existentem, in nostro Monte Pietatis, ad creditum ejusdem Camera, in peculiari tamen computo, & ad liberam dicti Sylvii Episcopi & Cardinalis Camerarii, ejusque in Officio hujusmodi Successorum dispositionem, ad hoc ut ipse, ejusque Successores de illis, prævia participatione Nobis, & Romano pro tempore Pontifici faciendâ, disponere valeant,

deponi volumus), percipiendam, ab eisdem Camera Apostolica redditibus, motu & scientia præfatis, ac de Apostolica auctoritatis plenitudine, per easdem præfatas, perpetuò separamus, sejungimus, & dismembramus: Eandemque summam annis singulis, duabus æqualibus & anticipatis solutionibus, in eodem Monte Pietatis, ad Creditum præfate Academice Capitolinæ *del Nudo* nuncupate, & ad dicti Cardinalis moderni & pro tempore existentis illius Protectoris dispositionem, liberè deponendam, eidem Gymnasio seu Academia, ad prædictos effectus, etiam perpetuò applicamus, concedimus, & assignamus: Mandantes eidem Sylvio Episcopo & Cardinali, ejusque Successoribus prædictæ Academice Protectoribus & Præsidentibus pro tempore futuris, ut ejusmodi pecuniarum summam, pro eorum prudenti arbitrio, in opportunas quaslibet, & ad prædictum opus rectè ordinandum & promovendum necessarias & utiles expensas, absque ullo reddendæ rationis onere, erogari curent. Nos enim quidquid ab ipsis ea in re providè statutum, ordinatum, & gestum fuerit, ratum & gratum habebimus, ac etiam faciemus auctoritate nostra, ab omnibus, ad quos pertinet, appellatione postposita, inviolabiliter observari.

§. 7. Ac decernentes has nostras Litteras, quas in dicta Camera Apostolica, juxta Constitutionem felicis recordationis Pii Papæ IV. Prædecessoris nostri desuper editam, præsentari, insinuari, & registrari volumus, præmissaque omnia & singula, nullo unquam tempore, ex quibusvis causis, de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quocumque alio defectu notari, & impugnari, seu revocari, suspendi, restringi, limitari, aut in jus, vel controversiam vocari posse: Sed tamquam ad bonarum Artium conservationem & propagationem, Urbisque nostræ decorem factas, semper & perpetuo validas & efficaces existere, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obrinere debere.

§. 8. Sicque, & non aliàs, per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam prædictæ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, nec non Causarum Palatii Apostolici Auditores, ejusdemque Camera Thesaurarium Generalem, ac Clericos Præsidentes, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & auctoritate, judicari & definiti debere: irritum quoque & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus contrariis quibuscumque Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, generalibus vel specialibus, ac, quatenus opus sit, promptuarii præfati institutione, ac proventuum inde obvenientium applicatione, ut præfertur, per Nos factis: privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, eidem Camera, ac illius Officialibus & Ministris, & quibusvis aliis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus clausulis, ac irritantibus Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, etiam Consistorialiter, ac aliàs quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac etiam pluries firmatis, approbatis & innovatis,

§. 10. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quavis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium & singulorum tenores præsentibus pro plenè

Firmantur
Statuta amplissimis
clausulis.

Aliter judicari
prohibetur.

Derogatio
generalis.

Et specialis
oppositorum.

Academia
seu Gymna-
zium publi-
cum, vulgo
del Nudo, in
Capitolinis
aediibus erigi-
tur.

Ejusdem Præ-
fatis, & Protec-
toris designa-
tur.

Cui amplissi-
ma datur au-
thoritas in A-
cademiam.

Certe annuo
centu Academi-
æ additio
consulitur
necessariis ex-
pensis.

Sanctio poenalis.

Dat. 17 Martii 1754. Pontif. XIV.

& sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens, ad praemissorum effectum specialiter & expresse, ac latissime & plenissime derogamus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§. II. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, institutionis, electionis, deputationis, facultatum imperfectionis, separationis, sejunctionis, dismembrationis, applicationis, concessionis, assignationis, decreti, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Siquis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. M. Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1754. xvi. Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Quartodecimo.

J. Card. Pro-Datar. D. Card. Passionens.

VISA
De Curia J. C. Boschi.

Loco + Plumbi. J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

XXXII.

Basilica Assisensis S. Francisci in Patriarchalem & Cappellam Papalem erigitur: Cum aliis gratis, privilegiis, & indultis.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Procemium. Divinum eloquium impletur dum exaltatur in terris humilitas Sancti Francisci.

FADELIS Dominus in verbis suis, quum saepe in Scripturis sanctis declaraverit, exaltatum se illos, qui voluntarie demissionis affectu humiliarent in terra animas suas, non solum in caelesti Regno pusillos Servos, quos Filii sui humilitati conformes reperit, gloria & honore mirabiliter coronat; sed etiam, ad mortalium fidem excitandam & roborandam, hoc pro sua sapientia disponit, ut qui videntes in Mundo, Mundi gloriam contemserunt, eique placere non curarunt, splendidioribus post mortem honoribus in ipso conspectu filiorum hominum extollantur, eorumque memoria in terris decorata fulgeat, & gloriola clarescat. Quod quum in pluribus sanctis Viris ab ipso Mundi exordio, & maxime post constitutam Ecclesiam, saepissime demonstratum est; tum vero in Beati Francisci Confessoris exaltatione, & in omnibus, quae ad illius Instituti amplificationem, & memoriae celebritatem pertinent, manifeste impletum conspicimus. Qui enim vivens, in oculis suis, & aliorum vilescere semper studuit, ac opprobriis & vituperationibus delectari consuevit; jampridem irrefragabili Catholicae Ecclesiae iudicio, clarissimoque praeconio, inter Amicos Dei cum ipso in Caelis regnantes, ubique terrarum honoratur & colitur: Illius autem Corpus, in quo mortificationem Christi ad mortem usque circumferre non destitit, singularibus signis atque prodigiis de Caelo illustratum, atque certantibus omnium Ordinum studiis, ita Populorum & Principum devotione clarificatum fuit, ut ejusdem Sepulchrum gloriosum, super ambitiosa potentium saeculi monumenta, merito celebrari mereatur.

Honores, & privilegia a Praedecess. Pontif. collata Ecclesiae Assisensi ubi Corpus Sancti Francisci reconditum est, enarrantur.

§. I. Et sane vix altero ab illius obitu anno decurso, quum de Servi Dei exuviis decenter collocandis ageretur, eumque in finem opportunus locus & fundus, prope Assisensis Civitatis moenia, illius Alumnis pro Apostolica Sede recipientibus oblatum fuisset; san. mem. Prae-

cessor Noster Gregorius Papa IX. dignum existimans & conveniens, illius memoriam, per quem tantus Ecclesiae Dei fructus provenerat, in eo etiam honorificari, ut Ecclesia, in qua ejus Corpus recondendum erat, nemini, praterquam Romano Pontifici, subesset; eundem fundum in jus & proprietatem praedictae Sedis Apostolicae recepit; statuitque Ecclesiam inibi construendam omnino liberam, ac nulli alii, quam Apostolicae Sedi subjectam fore; & ad hujusmodi libertatis ab Ecclesia Romana perceptae indicium, unius librae cerae censum annuatim sibi, & Successoribus suis ab eadem Ecclesia perfolvendum decrevit; Super quibus Apostolicas Litteras, quarum initium est -- *Recolentes* -- edidit Reate, xr. Kalendas Novembris Pontificatus sui anno II. Deinde vero, quum idem Gregorius Praedecessor, in ipsa Assisensi Civitate, gloriosissimum Patriarcham Sanctorum Confessorum Catalogo rite adscripsisset, ac designatam hujusmodi Ecclesiam in ipsius honorem Omnipotenti Deo dicendam, erigendamque statuisset, illius primario lapide suis ipse manibus posito, per alias suas Litteras datas Laterani, X. Kalendas Maji, anno Incarnationis Dominicae MDCCXXX. Pontificatus sui anno IV. incipientes -- *Is, qui Ecclesiam* -- non modò concessum eidem Ecclesiae libertatis, & immediatae Romano Pontifici subjectionis privilegium, nova & solemniori concessione firmavit, sed etiam Ecclesiam ipsam Ordinis Fratrum Minorum Caput & Matrem ab omnibus habendam, ac in ea per Fratres ejusdem Ordinis perpetuo servendum fore constituit; aliaque ad asserendam illius immunitatem, ac dignitatem, & Fratrum in ea deservientium commoda promovenda, opportunè decrevit, quae latius continentur in praefatis ejusdem Gregorii Litteris: quas alii deinde Praedecessores Nostri Romani Pontifices, ex quo ipse Sancti Francisci Corpus in eadem memorabili pompa illatum fuit, in primis Innocentius Papa IV., qui postea Ecclesiam ipsam ad supremum fastigium perductam, suaque jam constructione & mole conspicuam, anno MCCLIII., Dominica ante Festum Ascensionis Domini, ad honorem Dei, & ejusdem Beati Francisci, solemniter ritu dedicavit, nec non Clemens Papa IV. per similes suas Litteras confirmavit & innovarunt. Nicolaus vero etiam IV. peculiaribus Litteris, datis Reate II. Idus Maji Pontificatus sui anno II., & incipientibus -- *Praeclara* -- statuit Ecclesiam ipsam, & totum locum ipsius, cum pertinentiis suis, Ecclesiastico Interdicto, absque speciali & expresso Apostolicae Sedis mandato, sub certa forma ibidem praescripta concepto, supponi non posse.

§. 2. Porro eidem Ecclesiae non parum honoris ex eo accessit, quòd alii ex Praedecessoribus Nostri Romanis Pontificibus non solum ad eam, Beati Patriarchae Tumulum venerunt, saepe se contulerunt, sed in Pontificiis quoque Aedibus prope ipsam extructis ad non exiguum tempus domicilium figere, atque omnis generis Pontificalia Sacra in ea celebrare constiterunt; Insuper Apostolicae Sedis serinia, aliaque Ecclesiasticae Potestatis, & Civilis Imperii instrumenta apud eam collocarunt; nonnulli etiam in ea sepulturam sui corporis elegerunt; quapropter ejusdem Ecclesiae immediata Apostolicae Sedis subiectio, quae ipsi cum aliis pluribus per Orbem Ecclesiae ab inferiorum Praesulum jurisdictione exemptis communis videri poterat, peculiaris cujusdam Pontificum domini, & proprietatis induit speciem; eo vel maxime confirmatam, quòd quum in unius structurae altitudine trium revera Ecclesiarum, quarum altera alteri imminet, mira aedificatio conflueret, in superioris Ecclesiae Hemicyclo, Pontificia marmorea Cathedra contra Aram Maximam usque ab initio extructa,

semper

A fundationis initio S. Sedi immediate subiectur, anno re-servato cen-tu

Pontificia manu primus lapis Ecclesiae ponitur.

Caput & Mater Ordinis Minorum constituitur, Fratrumque ejusdem Ordinis custodienda in perpetuum traditur.

Per Rem. Pontificem solemniter ritu dedicatur.

Vetium, ne Ecclesiastico Interdicto absque Sanctae Sedis mandato supponatur.

Magis specialiter additur proprietati S. Sedis, ut pote decorata frequentis Pontificum accessu. Pontificiis Aedibus, & diuturno eorum domicilio Pontificio Archivo, Pontificum sepultura.

Duplici Pontificia Cathedra.